



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Parallela Geographiae Veteris Et Novae

Briet, Philippe

Parisiis, 1649

Nvm. 3. Qualitas.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13167

vndecim gradus cum dimidio, igitur milliaria 661. leucas Francicas 330 $\frac{1}{2}$. Germanicas 165 $\frac{1}{4}$, Russica Voreft 880.

Latitudo autem à Pro. *Famar*, in extrema Peninsulâ ad minoris Tanais Septentrionalem flexum, dat magni circuli sex totos gradus, ideóque 360. milliaria, leucas nostrates 180. Germanicas 90. Russica Voreft 480.

N V M. 3. *Qualitas.*

TOTA hæc regio feracissima, etiam extra Tauricam licet vulgò parùm colatur. Quinquagesima frumenti ab aruis exigitur, centesima milij. Equos alit paruos & deformes, sed fortissimos, laborisque & inedia patientissimos; videlicet vescuntur sæpè tantùm herbis, & frondibus, immo & radicibus quas vngulis scalpunt. Boues hîc prægrandes, & pingues ob læta pascua, & potissimùm circa Borysthenem, quem Fluuium aiunt melle, & lacte fluere: melle quidem, quia ex melliferâ regione prouenit, lacte autem quia versus mare pascuis insulis distinguitur. Populosa est in primis Tartaria, quoniam hîc plures vxores ducuntur. Certè vnus memoratur in Historia 40. liberos eodem anno ex variis coniugibus suscepisse.

N V M. 4. *Mores.*

PATIENTISSIMI sunt laboris, viuunt sine luxu in vestibis, in mensâ; plerumque triduo abstinent à cibo, & potu: tum se cibo sic ingurgitant vt triduo dormiant. In itinere venas equis incidunt, & sanguinem exsugunt, idque putant animantibus vile. Capita equorum in deliciis ponunt. In bello dum fugiunt maximè cauendi sunt, nam tela à tergo peritè vibrant. Dum pugnant ita se in equo contorquent, vt certis numquam pateant ictibus. Utuntur in viâ stellâ polari: in eodem loco diu non consistunt, immo & hoc inimicis imprecantur, vt diu in eodē loco viuant quemadmodum Christiani. Captiuos Polonos vendunt Turcis, aut sibi mancipia retinent, virgines sibi reseruant, sunt enim supra modum libidinosi: seniores, & inutiles telis iuuenum conficiendos obiciunt, decollandos ferro, lapidibus obruendos; is enim est iuuentutis ludus. Semiuiui etiam calcibus, & dentibus pugnant, &